

Nicænorum canonum, Constantinopoli & Alexandria petita, suum antecessorem Bonifacium, accepisse, ac sceleratam fraudem falsatorum canonum detectam esse, probè sciret. Quare remissis iisdem Legatis, nempe infausto illo Faustino, Philippo & Asello, postulationes priorum Paparum longè majori fraude & impudentia pertinaciter urfit. Ii scientes jam, fraudem corruptorum canonum, in qua antea fermè sola spem victoriæ reposuerant, detectam esse, statuentesque, nunc tantum audacia & impudentia esse pugnandum, sui novi Papæ cœlesti spiritu inflati, astutisque instructi, tanto majori vi ac impetu contra sanctiss. Synodi Patres, veluti Anrhei quidam insurgunt; urgent, ut scelestum illum Apiarium in communionem sine mora recipiant, quem jam dudum sanctiss. Pontifex in communionem recepisset, & ab omni accusatione absolvisset. Instant quoque, ut Romanæ sedi sese subjiciant, juxta priores Paparum petitiones, & sanctæ Nicænæ Synodi decreta.

Contrà Patres proferunt authentica exemplaria, ab Alexandrina & Constantinopolitana Ecclesia per suos Legatos allata, Paparumq; Romanorum impiam ambitionem & immane scelus falsatæ Synodi redarguunt. Dicunt, se jam antea illis ipsis Legatis bis, cum prius à Zozimo, deinde à Bonifacio missi eadem de causa essent, indicasse, comunia exemplaria longè aliter habere, ac Papa & ipse ejus Legati assererent: & tamen pacis studio consensisse in eorum petitionem, quoad liquidius exploraretur ex authenticis exemplaribus, an id decretum à Nicæna Synodo constitutum esset. Ad hæc, se jam dudum illa ipsa authentica exemplaria Bonifacio Papæ hujus præcessori, per eisdem Innocentium Presbyterum & Marcellum Subdiaconum misisse, qui ea Constantinopoli & Alexandria attulerant, indicasseque ipsi, neque communes, neque authenticos Constantinopolitanæ & Alexandrinæ Ecclesiæ codices ita habere, sicut ipse, & ejus antecessor Zozimus affirmaverant. Quare se maximopere mirari, & Papæ & Legatorum, præsertim ipsius Faustini, audaciam & impudentiam, qui adhuc ausint illam suam ambitiosam tyrannidis flagitationem urgere, & Nicænis canonibus tam sceleratè abuti. Negant igitur, se Apiarium in gratiam recepturos, nisi ille aut purget se manifestè de objectis sibi criminibus, aut confessus ea, supplex veniam petat. Negant etiam, se ullam jurisdictionem aut potestatem Papæ in Africanas, aut alias exteras Ecclesias deinceps concessuros esse. Ibi sceleratus ille Faustinus, aliique Legati à latere, planè Curifanem si audacia vociferari & potestari incipiunt, eos conari sanctæ sedis Rom. privilegia imminuere, & Nicænæ Synodi decreta irrita facere. Pugnatur & contenditur integrum triduum acerrimè, hinc sanctis Patribus Papæ jugum renuentibus, inde Romanensibus Legatis superbissimè & audacissimè instantibus, ut id omnino accipiant. Tandem singulari Dei beneficio improbus ille Apiarius, diffidens, se per Legatos Papæ communionem Africanis Ecclesiis extorquere posse, & conscius sibi respondere ad objecta crimina non posse, procidens in genua, objecta flagitia confitetur, supplexque veniam à Synodo petit. Et sancta Synodus decernit,